



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus**

**Lessius, Leonardus**

**Antverpiæ, 1632**

Dvb. 1. Quid simonia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](#)

## C A P V T X X X V .

## De Simonia.

Constat Dubitationibus 31.

**E**T si simonia sit peccatum oppositum religioni, tamen visum est de ea proxime post beneficia tractare, eo quod potissimum in presentationibus, electionibus, postulationibus, collationibus, resignationibus, & permutationibus beneficiorum locum habeat. Primum dicemus de simonia secundum se. Deinde de pricipiis modis in particulari, quibus fieri solet. Tertio, de penitentia eius.

## D U B I T A T I O I .

Quid simonia.

D.Thomas art. 1. quest. 100.

I  
Didia simonia à  
Simone mago ob  
tres causas.



O T A N D V M est, simonia peccatum à Simone mago nomen accepisse, idque ob tres causas.

Primo, Quod ille primus tempore noui Testamenti legatur hoc crimen infectus fuisse, Acto. 8.

Secundo, Quod grauissime inter omnes antequos hoc genere peccati peccauerit: voluit enim emere pecuniam donum illud & potestatem admirabilem visibiliter conferendi Spiritum sanctum, idque eo fine ut ipsum Spiritum sanctum postea venderet; ut docet diuus Augustinus tract. 10. in Ioannem. Volebat, inquit, emere Spiritum sanctum, quia vendere volebat Spiritum sanctum; & colligi potest ex c. 8. Actorum. Prior autem solum rem spiritalem creatam venderunt; ut Balaam suam prophetiam, Num. 12. & 23. Giezi minister Elisaei sanitatem diuinitatem concessam, 4. Reg. 5.

Tertio, Quia Simon videtur etiam pertinaciter sensisse hoc ipsum esse licitum, ac proinde fuisse hereticus hac in re: quod insinuat D. Ambrof. l. 2. de penitentia cap. 4. & habetur 1. quest. 1. can. Petrus. videtur autem hoc vitium maximè cœpisse vocari nomine simoniae tempore Gregorij I. qui etiam vocat illud heresim simoniacam, nempe quia est exterior quædam professio heresis seu prævaricationis; (sicut imaginum deturatio & concordatio est professio heresis interna) præsentim si publicè & sine pudore fiat, sicut fiebat in Galliis tempore Gregorij, vbi palam pro collatione ordinum exigebatur pecunia, ut confitatur ex registro epist. 10. 113. & 114. Prior tamen Patres vocant illud passim vitium Simonis, ut Chrysostomus, Ambrosius, & Nazianzenus. vide plura testimonia 1. quest. 1.

Notandum Secundò, Simoniam esse vitium contra virtutem religionis, consistens in rerum sacratum indigna tractatione, non qualibet; (variis enim modis indignè tractari possunt) sed qua res sacræ tamquam profana estimantur, & in contractus deducuntur: hæc enim est magna in Deum, à quo sanctitatem habent, irreuerentia: quæ vocatur simonia. Vnde patet simoniāam esse speciem

D.Thomas quest. 100.

sacrilegij, qua res sacra indignè tractatur, dum pretio temporalis estimatur, & in contractum deducitur. Solet autem sic definiri:

*Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi* <sup>3</sup> *temporalis aliquid spiritale, vel spiritale an-* <sup>Definitio</sup> *nexum, sic Glossa in cap. 11. Qui studet. i. q. 1. paf-* <sup>simonia.</sup> *simone. simum à DD. recepta. solum additur à DD. pretio* <sup>temporalis,</sup> *maioris explicationis causâ. Hæc defini-* *tio habet quatuor partes.*

Prima, *Studiosa voluntas*, id est, deliberata; ut *Explicatur* excludantur motus voluntatis non plenè delibera- <sup>definitio.</sup> ti, vel procedentes ex ignorantia inculpata. loqui- mur enim de peccato simoniae in sua specie per- fecto.

Secunda, *emendi vel vendendi*; quibus verbis significatur omnis omnino contractus non gratui- tis, sive sit vera emptio, sive locatio, sive permuta- <sup>to, &c.</sup>

Tertia, *Precio temporalis*; si enim derur spiritale pro spiritali, non erit propriè simonia, ut infra di- cetur. turpitudo enim huius peccati consistit in eo, quod spiritalia estimantur pretio humano vel re aliqua humana, qua sit pretio estimabilis.

Solet autem à DD. triplex pretium distingui, ex <sup>4</sup> cap. 8. Saluator. 1. q. 3. *Pretium muneric*, ut pecunia, *Triplex* equus, bos, vestis, & similia vendi consueta. *Pre-* <sup>pre-</sup> *mium lingue*, ut laus & vituperatio, patrocinium ad- uocati, commendatio apud Principem: hoc enim officium est pretio estimabile. *Pretium obsequij*, ut ministerium aliquod in rebus temporalibus, ut est famuli, economi, &c.

Quarta, *Aliquid spiritale, vel spiritale annexum*; quia res merè temporalis non est materia simoniae; illius enim commutatio non est contra reuerentiam rebus sacris debitam. Hinc patet, malitia huius <sup>Malitia</sup> <sup>huius pec-</sup> *vitij* in eo consistere, quod iniuria quædam & irre- <sup>cati.</sup> uerentia fieri rebus sacris, atque ad eò ipsi Deo, dum tamquam res temporales pretio estimantur, & contractibus subiiciuntur.

*Spiritale* huc vocatur non omne aut solum in- <sup>5</sup> *corporeum*; sed quod est aliquo modo supernatu- <sup>Spiritale.</sup> rale, sive sit aliquid reale, sive morale tantum, sive in modum actus, sive in modum habitus, talia sunt virtutes supernaturales, gratia præuenientes, gratia gratis date, Sacraenta, consecrationes, benedictionesque Ecclesiæ, & omnis usus potestatis supernaturalis.

*Spiritale autem annexum* est, quod cum aliquo spiritali connexionem habet: quod tripliciter fieri <sup>Annexum</sup> *spirituali*. potest; antecedendo, consequendo, comitando. *Antecedendo*; ut Ius patronatus; qui supponitur presentationi beneficiorū. Item secundum quof- <sup>6</sup> *dam, vestes & vasa sacra, templa, altaria;* quia refe- *reuntur ad sacrificium Missæ.* *Consequendo*; ut be- *neficia Ecclesiastica*, quia supponunt officium di- *uinum.* *Comitando*; ut labor in ministerio Sacra- *mentorum.*

Potes, Quare sola supernaturalia censentur esse <sup>Supernatu-</sup> *materia simoniae?* <sup>ralia sunt</sup> <sup>simonia.</sup>

Respon-

matoria.

Respondeo, Quia cum haec natura sua sint talia, ut humana industria non possint comparari, sed solum diuino munere gratis concedi; magna irreuerentia est, si pretio, sicut aliæ res humanae æstimantur: quod locum non habet in ijs, que naturaliter possunt haberi; etiam si per accidentem aliqui supernaturaliter infusa sint, vel post amissionem restituta; ut si aliqui sit infusa res mechanica, ut Beseleel; vel oculi amissi diuinitus restituti. Non enim quia aliquid diuinitus acceptum est, ideo efficitur inveniens, sed quia est ordinis supernaturalis, nullis causis naturalibus comparabile, & directe concessum a Deo ad animarum conversionem & salutem supernaturalis. Vnde est fama & vita non sunt pretio estimabila, tamen quia sunt bona humana ordinis naturalis, non debetur illis ea reverentia, ut non subcipientur pactis & pretio temporali. Nam vita licet pecunia redimitur, & homines emuntur in seruos, & fama interdum interuenit pecunia vel comparatur, vel recuperatur.

<sup>7</sup> Ex his sequitur Primo, Non esse simoniam, vendere doctrinam vel notitiam cuiusvis veritatis naturali industria comparabilis; ut recte docet Sotus l. 9. q. 5. art. 1. Victoria de simonia, refutat. 1. num. 5. & Adrianus quodlib. 9. art. 11. vbi id fuisse probat, & citat Durandum, Richardum & Pandanum. Est contra Alcidionensem 3. p. quæst. pænult. de simonia. & Alex. Halensem 2. p. q. 18. 5. num. 3. qui dicunt scientiam vendi non posse, quia est inestimabilis pretij; sed solum laborem qui in docendo ponitur. Sed probatur Primo, Quia naturali industria paratur, & ex causis naturalibus illa cognitio oritur. Secundo, Quod quis est doctior, eo maius stipendium potest exigere, & tamen minus laborat: quod est signum, estimari scientiam ipsam. Tertio, Idem patet ex eo, quod pro sublimiori doctrina maiora solent peti stipendia; quod tamen non licet, si vendere doctrinam esset simonia.

Nec refert, quod sapientia non possit auro estimari; quia sapientia non solum pendet ab alterius doctrina, sed etiam a lumine interno. Deinde esti secundum naturam suam non possit auro conferri; tamen ratione quarumdam conditionum annexarum, quae estimantur apud homines, ut sunt voluptas cognitionis, dignitas apud homines, utilitas temporalis inde proueniens, potest sine iniuria auro conferri. Simili modo, homo secundum naturam suam est præstantior toto mundo, tamen ratione utilitatis temporalis ex illo proueniens, potest pretio vendi.

Sequitur Secundo, In statu nudæ naturæ non futuram fuisse simoniam propriè dictam; quia nihil ibi fuisse supernaturale. Similiter nec apud Iudeos modò, nec apud Infideles est illa vera simonia in venditione rerum sacramentorum; nisi ex conscientia erronea, qua existimant se vendere rem sacram; (sicut Ieroboam vendens sacerdotia excelsorum, 3. Reg. 13.) cum nihil sit apud ipsos verè sacrum aut supernaturale. In statu tamen nudæ nature potius esse aliquid affine simonia; nam fuisse ibi verus Dei cultus, veri Sacerdotes, sacrificia & sacrificandi instrumenta, quæ nonnullam habuissent sanctitatem, in morali quadam deputatione constitutam, quam pecunia estimare, nonnulla videtur futura fuisse irreuerentia. Potest etiam Ethnicus committere veram simo-

niam in rebus Christianorum, ut si venderet Baptismum, aut vas sacra propter consecrationem.

Sequitur Tertio, Non esse simoniam, dare alii-  
cui beneficium ob amorem humanum; ut quia Anob a-  
sanguine vel amicitia iunctus, &c. quia nullum morem vel  
intercedit pacatum pro pretio. Similiter nec ob timorem; vi si des alicui beneficium ne tibi noceat, modò pacatum non interueniat. Quod si pacatum interuenit, dubium est, de quo inf. d. 21. Negari tamen non potest, quin nonnulla sit in sacrum officium irreuerentia, si beneficium ob amicitiam humanam vel similem causam detur; magisque spectentur causa private, quam bonum Ecclesiæ.

Sequitur Quartio, Non esse simoniam, quando Sacerdos praedit ministeria sacra, etiam principali-  
ter, ob lucrum temporale; modò nullum pacatum  
tacitum vel expressum interueniat: quia ratio simoniae consistit in pactione & contractu, secundum  
communem lentitiam Doctorum.

Nec obstat, quod D. Thomas quodlibet. 8.  
art. 10. contrarium sentire videtur in calo propo-  
fito; quia in Summa videtur mutasse lentitiam,  
cum ad simoniam requirat pacatum; ut patet art. 1.  
ad 5. Poteat tamen dici late simonia, quia qui æsti-  
mat ministerium spirituale ex utilitate temporali,  
magnum irreuerentiam in illud committit, & facile ad contractum descendenter.

Sequitur Quinto, Non esse simoniam, si quis animo non quidem verè emendi aut soluendi, sed decipiendi dumtaxat, promittat aliquid tempore pro beneficio; vi recte Caetan. opusc. 9. quæst. 2. tom. 2. & Sotus l. 9. quæst. 8. art. 1. Idem temnit Toleatus l. 5. cap. 90. ratio est, quia iste non habet voluntatem verè emendi, sed mendacio decipiendi. peccat tamen, tum quia alterum inducit ad simoniam; tum quia externum opus simoniæ facit. Poteat tamen beneficium sic obtinere retinere, si à legitimo collatore sit collatum, ut iudicium DD. tradunt, & fatetur etiam Nauarus cap. 23. num. 136. quamvis velit esse simoniæ conventionalem.

## D U B I T A T I O    II.

Vtrum omnis venditio aut commutatio re-  
rum spiritualium pro temporalibus, sit  
simonia Iure diuino prohibita.

**N**otandum est, rem aliquam in proposito possit dici spirituali vel sacram, ita ut sit Quatuor materia simoniae, quatuor modis. Primo, Quia talis est natura sua; vt sunt omnes supernaturales virtutes, & gratia præuenientes, & omnes gratia gratis datae, sive consistant in habitu aliquo, sive in quadam assistentiâ Spiritus sancti. Secundo, dicuntur sacrae, Quia sunt causa sanctificationis; sive effectiva, ut Sacramenta; sive dispositiva & excitativa, ut sacramentalia, concio, preces, exorcismus. Tertio, Quia sunt effectus vel visus sacrae potestatis, ut excommunicatione, abfusio, benedictiones, & consecrationes, quas facit Ecclesia; quamvis haec etiam possint dici sacra secundo modo. Item prophetare, miracula facere; quia sunt operationes potestatis supernaturalis. Quartò dicuntur sacra solum, Quia annexa sunt rebus sacris, idque vel proprio, ut beneficia, ius patro-

QQ natus,

<sup>8</sup> An apud  
Ethnicos,  
Iudeos, &  
in statu  
nuda na-  
tura.